



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Caroli Spinolæ Societatis Iesv, Pro Christiana Religione In Iaponia Mortvi

Spinola, Fabio Ambrogio

Antverpiæ, 1630

Cap. XIII. Latet in Japoniâ occultus, ad iuuandos Christianos; deinde in
carcerem abripitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46233)

CAPVT XIII.

Latet in Iaponiâ occultus, ad iuuandos Christianos, deinde in carcerem abripitur.

SAFFOYIÆVS Nangafacho Præfectus, cui Seditorum Imperatoriorum executiones obeundæ, aduersus Religiosos proscriptos, incumbabant, omni diligentia cavit, ne quis eorum ullis latebris abditus tegeretur. Eam in rem (cùm plateæ omnes Iaponum & noctibus clausæ sint, & vicus quilibet aliquem habeat reliquis habitatoribus impositum) iussit vt singuli vicorum principes, capitis bonorumque damno sese obstringerent, non permiffuros vllum Religiosorum vico suo toto (quod scirent) delitere occultum. sed quoniam impar longè est Christianæ charitati nequitia omnis diabolica, ardor curandarum animarum, qui in Religiosis pectoribus flagrabat, facile tyrannorum astutiam elusit: mansere quippe in latebris terni & viceni è Societate nostrâ, alijque nonnulli è sacris ditorum Ordinum Familijs, præter numerum bonum Catechistarum atque alumnorum. In his fuit Carolus: qui licet gloriosum quidem duceret pro Christo in exilium relegari, sperans tamen, si remansisset, mortem etiam se amplius obiturum, magnâ feruoris signifi-
catio-

catione Superioribus indicauit, quanto teneretur desiderio non excedendi, cuius mox compos factus est, æquali suâ lætitiâ, atq; inuidiâ Sociorum, qui paribus quidem studijs, sed impare sorte, eandem ambiuerant conditionem. Tantis porrò Carolus incescit gaudijs beneficij iam adepti, vt Patri cuidam in Europam scripserit, *nec tanti se eum vquam estimasse munus prima sue in Iaponem vocationis.* Vnâ cum veste commutatâ, nouum sibi apud externos indidit nomen Iosephi à Cruce, quod tenuit dum in custodiam raperetur; vt eo scilicet cognomento palàm profiteretur, quid intimis pectoris desiderijs haberet inclusum. Qui verò quanti; exinde eius fuere labores, difficile sit explicare. Rudis quædam imago illi obuersabitur, qui secum reputare cupiet suspiciones, periculâque assidua, quibus inter medios hostes idololatrâque circumuentus vixit; maximè si exilij seuerissimas adiunxerit pœnas, quæ vix inter Christianos securum eum degere sinebant; cum etiam eorum nonnulli, statim primo reflante tyrannidis turbine, desertores facti, principesque satellitum, antiquâ Religionis larvâ personati, dum fidem dissimulabant, ipsos fidei ministros prodidere. Præterea tam amplâ existente vineâ, vitibusque adeò diffusis, pro exiguo numero vinitorum, perpetuo

eos

eos motu huc illuc vagari conueniebat. Quòd
 verò non tam vitæ propriæ iacturam Caro-
 lus metueret (quam DEO lubens consecra-
 uerat) atque impendentia damna, quæ fa-
 cturi erant apud quos ipse fuisset deprehen-
 sus, nullo certo hærebat loco aut mansione,
 sed latebras perpetuò commutabat, ne cui-
 quam accereret incommoditatem. Adhæc,
 diuersissima Europæorum à Iaponibus spe-
 cies, diuersa corporum orisq̃ue forma ac co-
 lor, ne sese proderent, noctes diebus permu-
 tare cogebant, somnoq̃ue ereptum tempus,
 audiendis pœnitentium accusationibus, sa-
 crisq̃ue faciendis dare; quorum duo Domi-
 nicis Festisq̃ue faciebat, locis inuicem lon-
 giusculè distantibus, ad solatium afflictæ gen-
 tis. Sed audiamus quæ de se ipse permodestè
 Mediolanum ad P. Pompilium Lambertem-
 gum commemorat, litteris 20. Martij datis
 anno 1617.

*Iam duo ferè anni sunt & dimidiatus, ex
 quo Christianis hisce excitandis colendisq̃ue,
 magno cum labore incumbo. E domo in domum
 clàm succedo, noctu confitentes audio, simulq̃
 hîc Sacris operor, quia proprijs adibus careo.
 Plerumque solus absque omni hominum consor-
 tione ago, nec vel vnius dici relaxationem re-
 creationemve habeo; præter eam quâ Dominus
 eos impertitur, qui amore sui se fatigant, aduer-
 sa sçq̃*

saſq; res perpetuuntur. Grauiſſima quæ me tor-
quet acerbitas eſt, non ſolùm pampinos florém-
que vineæ huius aduerſo tyrannidis turbine vi-
dere proſtratos, verùm etiam vuas propè iam
maturas, tot tantorumq; laborum noſtrorum
ſpem, iacere collapsas. Inter hæc tamen valetu-
dinem tueor vt queo; neque vel tot rebus defi-
cientibus, vnicaq; in diem refectione, eaque mo-
dicâ paſtus, adhuc macreſco: atque ita re ipſâ
ſentio verum illud eſſe, Non in ſolo pane vivit
homo. Simul id temporis (vt iſdem litteris
ſubiungit) cruciabatur exiguâ ſpe finis illius
aſſequendi, ob quem præcipuè in hanc ſe ex-
peditionem coniecerat; quòd intelligeret, mi-
niſtros Imperatoris abſtinere decreuiſſe à cæ-
dibus externorum Religioſorum. Sed hoc
eum metu exemit breuî, mors P. Ioannis Ba-
ptiſtæ Machiadi, Societatis noſtræ Sacerdo-
tis, qui captus fuit, dum reum ſibi aduolutum
ſacris Pœnitentiæ abſoluit. Is deinde 22. Maij
anno 1617. (quia occultus latuerat, Chriſti-
que fidem aduerſus publica edictorum impe-
ria vulgauerat) capite truncatus, cum P. Fra-
tre Petro ab Aſcenſione, Ordinis S. Franciſci,
viam ſcilicet aperuit Carolo, qui Sociorum
omnium primus, parem ob cauſam, eum eſt
ſubſecutus, genere mortis violentæ. Ac quaſi
id iam tum præſenſiſſet animo; poſtquam
exultauerat multum ijs litteris, quas Nanga-
ſachi

fachi ad P. Mutium Vitellescum Præpositum
 Generalem scripsit 5. Octobris anno 1617. su-
 per noue cuiusdam coronæ ornamento, quod
 Societati nostræ pepererat mors P. Ioannis
 Baptistæ, hæc verba subnectit: *Equidem feli-*
cem me reputo, qui eo potissimum tempore hic
remansi, quo tam insignem intueri coronam li-
cuit. Nec dubito, quin tunc quoque eam
obtenturus eram, fuisset absque graui herispila
morbo, qui tibiam mihi per id tēpus corripuerat;
ut bimestri toto, quo duos Christianorum pagos
cure meæ commissos obire decreueram, prodire
domo non ualuerim. Hic uerò facile detectus
captusq; fuisset à milite Omurensi. Imperfectio
mea, meaq; culpa, tam insignem mihi palmam
auerterunt; & certè indignum me tantâ felici-
tate reputo. Si tamen, ut sese indicia dant, res
in peius eant, spero quòd differetur, non aufere-
tur. Intereà pro uiribus Christianos excolo, ac-
cendoq; ad martyria fortiter toleranda; ipse ue-
rò in dies præstò sum, ut uitam pro eo obijciam,
qui suam tam libenter, amore mei, abiicit. Et
quoniam minus occultus dego, quàm reliqui Pa-
tres, quibus omnibus ad me, ut Prouinciæ Pro-
curatorem, est perfugiendum; primus fortè ero
qui in vincula rapiar, & occidar. Neque ta-
men ob has res, quas litteris attingit (nimirum
quòd plus reliquis pateret, minusq; tegi
posset, ob negotiorum suorum tractationem,
 Patrum.

Patrumq; ad se conuentus) non solum numquam eo munere liberari petijt, sed amplius etiam ad peragendum obtulit sese; ratus hac via faciliorem sibi aditum ad carcerem aperi. Hic vinculorum amor, ardensque fundenda pro Christo vitæ desiderium, adeo redderant eum intrepidum, vt alijs sui conciuerit admirationem, cum capere nempe non possent, quâ ille ratione, inter durissimas tyrannidis calamitates, tam quietum erectumque ostentaret animum, quam vix altissimâ in pace alius quisquam præ se ferret. Planè, vt nonnulli, qui ignorât quantum solatij adferat insignis in DEVM fiducia, censerent, illam tantam animi quietem potiùs temeritatè, quam fortitudinem esse existimandam. Non tamen ille prætermittebat circumspicere omnia. Ac licet, quoties sibi prodeundum erat (vt scribit) in omnem casum haberet paratum pectus; nihilominus cauebat diligenter, donec compos flagrantissimorum suorum desideriorum, in custodiam amore Christi abductus est. Referam hoc loco ordinem modumque captiuitatis, adiunctis rebus omnibus, quas ipse accidisse sibi memorat, litteris è custodia Omuranâ datis 3. Martij 1619. ad Rectorem Mediolanensem. Addam etiam singularia nonnulla, ab alijs narrata, quæ captiuitatem eius antecefferunt; quare & diuinitus
ei

ei fuisse præsignificatam, quorundam opinio fuit. Aduentus noui Gubernatoris Nangafachensis, cui nomen Gonrocuu, intutas Religiosis delitescens latebras fecit: quippe sagaciùs in eos quærere ab Imperatore iussus est, cui proditum nempe erat, non modò occultos remansisse multos, sed recentes quoq; adrepisse. Ad tegendam ergo fraudem, blandorum rumusculorum famam callidè commentus est Gubernator; nimirum non esse se excussurum familias ciuium, ne hospitibus facefferet molestiam; noctibus solummodò inuigilaturum, cum varias discurrunt in partes pro re atque vsu. Eo rumore accepto, Carolus in secretiores se latebras abdidit, contentus agrorum audiendis confessionibus vacare, donec nouo P. Visitatoris mandato, foras prodire, in tempus prohibitus est. At inopinatæ valetudinis cura eum coëgit recipere sese in domum Dominici Georgij, pauperis Lusitani, in quam per id tempus extero nulli permissus aditus fuit. Ante quadraginta dies quàm caperetur, ingentis cuiusdam feruoris incrementa foris sese prodidère, admirantibus ijs quibuscum versabatur. Longior erat in Sacro faciendo, instarq; hominis à sensibus abducti. In precibus fundendis (quamuis semper aliàs huic fuisset exercitio deditissimus) solito erat frequentior. In familiari consue-

G

tudi-

tudine, plus præ se ferebat amoris, lætitiæ atque affabilitatis. Biduo captiuitatem præcedente, ab oratione surgens, aduocat Catechistam, supellectilis ei quidpiam tutò occultandum commendat; pyxidemque icunculis instructam, quas à morte suâ dari Patribus amicisque iubet. Alijs accepti expensique tabulas, similesque chartas aliquot, in quibus pauca iuuandæ memoriæ notata, contradidit: scriniolum quoddam per eundem Dogicum adferri sibi iussit, è quo duobus extractis rosarijs, alterum illius sorori, alterum fratri minori donare se dixit. Ipsi denique pileolum quemdam candidum reliquit, quæ erant vniuersæ opes ditissimi huius mercatoris animarum. Cum verò excepisset Dogicus, se pileolo illo non egere; facturum satius, si egenti alicui daret; respondit Pater, *Tu vel in mei memoriam seruato*: illoque iterum dicente, nullo sibi alio memoriæ pignore esse opus, à quo tantis deuinctus esset beneficijs, vt sequi eum, cum eoque commori paratus esset; reposuit Carolus: *Euenient omnia pro placito Numinis, sed scito, te mali nihil esse perpeffurum*. Persuasum ei inter hæc, vt in alias clam ædes se referret, tutelæ maioris ergò. Id quod facere decreuerat illo ipso vespere, qui festus S. Lucie erat, anno 1618. sed partem, Sacri faciendi causâ, impertiendæque altaris Mysterijs

Elifa-

Elisabethæ Fernandæ vxoris Dominici Georgij hospitis sui, quæ vehementer id ab eo contenderat, partem, ob alia quæ interuenere impedimenta (nutu haud dubiè diuino) in diem sequentem dilata migratio est. Proposito igitur Sacri benè manè sub gallicinium faciendi (vt ante lucem factum esset) in cubiculum dormitum se recepit. Medio noctis, per somnij speciem visus sibi est videre latrones, perfractis parietibus domum irrumpètes: quo visu excitatus, vbi somnij imaginem esse sensit, in somnum iterùm se composuit, sed capere somni nihil deinde potuit. Vix horæ dimidiæ spatio lapsa, adsunt milites Gonrocui, suffractaque per vim ianuâ, inuadunt locum, in quo Caroli Socius Ambrosius Fernandez, Societatis nostræ Religiosus, degebat, præterito viciniore foribus cubiculo, quod Carolus incolebat. Is, vbi quid ageretur, animaduertit, DEO scilicet se commendare, vitamque, si placeret, offerre; ad omnem se fingens Numinis voluntatem. Dum redit, inuento captoque Ambrosio, miles eorum vnus vestigabundus, vt fieri solet, cubiculum aperit, in quo Carolus supplex fundebat preces: qui vbi se in eorum esse potestate vidit, sublatis in cælum oculis, quanto maximo potuit affectu, gratias DEO pro tam singulari gratiâ reddidit. Illi protinus, iniecto fune, collum,

G 2 manus,

manus, pedes ei constrinxerunt, arctè aded atque angustè, vt, scribentium testimonio, lacerata vinculis caro, perpetuas retinuerit vulnorum cicatrices, liuore, dum vixit, decoloratas. Abduxerunt in carcerem quoque Dominicum Georgium domûs inquilinum cum vtroque seruo; Catechistâ, qui vicinis ædibus diuerterat, prætermisso. Sic vinctus, cum socijs in Prætorium Gubernatoris ductus, sub dio, proximè stabulum, noctem diemque (qui Veneris erat) traduxit, graui frigore vexatus, doloribusq; nexuum; quostandem Christiani famuli aliquantum relaxauerunt. Mox eundem in locum tracti à satellitibus fuere duo è S. Dominici Familiâ Religiosi: quorum vnus Italus, domo erat Lucensis, è nobili Orfuciorum profapiâ, Angelus nomine, cognomento Ferrerius, quod sibi adsciuerat, religione Vincentij illius Ferrerij sanctitate clari: is dudum in Philippinis egerat (Lufonium appellant locum) recensque in Iaponem erat delatus. Nocte Veneris diem insequente, somni tempus audiendis Christiani familiaritij confessionibus (quod in obsequio erat Gubernatoris) Carolus impendit. Curauit id temporis, sibi socioque suo adferri vestes quibus Societatis Patres ijs regionibus vtuntur; quod idem à Dominicani Ordinis Patribus factum: proprioque omnes, suæ quisque Familæ

miliae cultu, Sabbato ante prandium fuere in
 examen coram Governatore producti. Hic
 iussi nomen, cognomen, patriam, Religio-
 nem, ætatem denique edere, responsaque fue-
 re in tabulas relata. Tum ad Carolum versus
 Governator (quem prius nouerat scilicet,
 quam Iapone Religiosi erant proscripti) his
 eum verbis compellauit: *Equidem cogitatione
 assequi non queo, quã vos ratione freti, affirma-
 re possitis, in has vos insulas venisse, ut vitam
 Iaponibus daretis, quorum aduentum video
 multis causam extitisse mortis.* Quibus verbis
 (cum sentiret DEI seruus ab eo non intelligi,
 ecquid esset salus animarum) in hanc senten-
 tiam respondit: *Hæc mortalis vita, resq̃ omnes
 huius vitæ mortalis, utpote caducæ, velocissimo
 præterlabuntur cursu, ac semel necessario dese-
 rendæ sunt. Cuius verò maximi nostra vestraq̃
 omnium interest, salus est cuiusque animæ, que
 numquam interit, moriturve. Quæ salus, quo-
 niam sine Christianarum legum obseruatione
 haberi non possit, nihil mirum, si Iapones illi,
 (qui veritatis huius compotes sunt) exultent,
 gestiantq̃, ad eò, dum æternam hanc vitam, exi-
 guã corporum suorum iacturã atque exitio, adi-
 pisci possint. Equidem quod ad me attinet, iam
 multorum annorum spatio ad felicem illam con-
 ditionem anhelò. Et quoniam ope vestrà ad sum-
 mam me votorum meorum properare video,*

gratias habeo, agoq; magnas; tantam abest, ut de Xonguno Iaponie Rege querar, aut doleam oblatam in me captiuitatis sententiam; neque offendor, succensiove administris Regijs, qui imperium sunt executi; sed Dominum veneror, obtestorque, ut illi atque his gratiam largiatur intuendae veritatis, redeundiq; ad meliora. His dictis dimissus cum reliquis est in priorem locum. Mox, de prandio, solus à Governatore vocatur Carolus, duciturque in interius conclave, vbi duobus familiaribus stipatus, Governator eum opperiebatur. His praesentibus, particulatim excutere, atque interrogare, quae ratione in Iapone remansisset, quibus in domibus se occulisset. Respondebat Carolus, Non desse artes, quibus facile intra Regnum Christiani occulrentur, sed nefas esse eas prodere, aut domos indicare, ne hospitibus accerferet damnum. Cur ergo (occurrebat Praefectus) cum certo alieni exitij periculo remansisti, eorum nempe in quorum adibus fuisses deprehensus? Suae mentis fuisse, aiebat Carolus, nemini damnum dare, quare nec ullorum se usum hospitio, nisi eorum qui ultrò inuitassent, desiderio salutis suae; in quorum gratiam, vicissim ipse, periculo caput suum obycere non reformidasset. At si Iaponum Rex (subijciebat Gonrocuus) non patitur vos sedem in Regno suo capere, cur vos contra eius imperia manetis? Si priuatus quispiam è Proce-
ribus

ribus (respondit Carolus) tibi mandatum aliquod daret, eiq; Rex ediceret mandatum contrarium, non dubito, inquit, quin Regis pareres imperio, iudicaresq; te sat habere presidij, quo te alteri illi è Proceribus excusares. Sic ego, propter observantiam, quâ sum in Iaponia Regem, vestitu quidem Religioso nec utor, nec publicè Christianos inuoc, sed veste simulatâ, clàm & notètu, defungor officio meo. At quia celi terraq; Dominus, Regum omnium Rex, mihi præcepit, ut suo in obsequio manerem, duxi teneri me graviori mandato, etiamsi intelligerè vitam meam periclitari. Tum versus ad familiares illos duos Gubernator, Non auditis, inquit, insigne callidumq; commentum? Excepit Carolus: Non est, mi Domine, commentum hoc meum, sed lex diuinitus data, qua neque refigi potest, neque à nobis mutata est. Neque machinatio est (ut vos dicitis) occupando Regno dititionibusve vestris excogitata: nam si id ita se haberet, studeremus ceriè obsequi Magnatum Regumq; voluntatibus, adferendo vobis legem iucundam, commodam cupiditatibus, omniumq; appetitui seruientem; nosq; ipsi consecraremur genus aliquod vitæ commodæ ac iucundæ, neque (uti vobis ipsis est exploratum) à voluptatibus corporis, perpetuâ nostri subiugatione, nos ipsos abstineremus, sed commoda quæque amplecteremur, prono Bonziorum vestrorum exemplo, qui clàm sibi

*pro libidine indulgent, externâ autem specie
rigidissimam quamdam mentiuntur seuerita-
tem. Dum hoc verborum ardore pergit falsas
Iaponum sectas concutere, iubet Guberna-
tor, per duos sibi præsentis, acciri alios Do-
minicanæ Familiæ Religiosos, retento Caro-
lo, vt interpretis vice fungeretur. Carolus so-
lus, Præfecti solius copiam nactus, (vti cum
animo suo facere statuerat, si fortè occasio-
nem aliquando adipisceretur) hortari homi-
nem, vt falsorum Iaponiæ numinum super-
stitioni renuntiaret, Euangelij signa sequere-
tur, Christi que se castris adiungeret. Insinua-
bat simul, sat se intelligere, non eius se volun-
tate in custodiam compactum, sed Regis ip-
sius iussu: perspectam sibi esse bonitatis illius
indolem, blandissimam que comitatem, ma-
turam etiam atque opportunam meliori Re-
ligioni capeffendæ. Quoniam verò cupidissi-
mus esset salutis illius, supplicabat ne differ-
ret Catechismi institutionem admittere. Sub-
risit scilicet Gonrocuus, & conclauis se propi-
piens, vt videret fortè an quis colloquio testis
arbiterve vicinior adfuisset, respondit: Chri-
stianorum dogmata non descendere sibi in
pectus. Causam esse, subiecit Carolus, quòd
huc vsque concionibus numquam interfuis-
set, quas si audisset, procul dubio ei placuis-
sent, si periclitari tantum lubuisset. Superue-
nere*

nère sermonibus duo, qui acciti erant, Religiosi; interrogatiq; quando, & quo nauigio in eas insulas venissent; responderunt, interprete Carolo, eo ipso anno è Philippinis se soluisse, nauigium autem (ne hospiti damno essent) indicare non posse. Instare contra Gonrocius, Satiùs igitur contineretis vos ditioribus vestris, salutis propriæ intenti, neque Iaponem turbaretis. Opposuit iterum Carolus: Religiosos in nullius domũ inuadere per vim, sed accitos, inuitatõsq; atq; ut à multis, qui salutem ducunt posteriorem fortunarum iacturis, non aduocarentur, plures tamen longè esse, qui celestis mercedis desiderio, omne adhibent studium, hospitij eos suis tegendo, vel cum discrimine capitis manifesto. Cuius admissi causa, si in nexum abrepti, capitis damnarentur, id eos felicitatis summæ habere loco. Inde colligi apertè posse, Religiosos alieni damni non teneri, qui diutiùs apud Iapones mansuri non fuissent, nisi extitissent qui operam eorum implorassent. Neque verò acquiescere, solà propriarum animarum salute, amplitudinem illam Christianæ charitatis, quæ ubi semel in Religiosorum hominum pectoribus est accensa, adnititur nimirum explicato sinu complecti nationes hominum vniuersas. Hinc illi auidi, populis omnibus, qui miserrimè excæcati celestium rerum ignorantia laborant, adferre celestem lucem (optimum scilicet Religionis thesaurum)

qua una ducit ad salutem, ne quidquam angustiis patriæ suæ limitibus inclasi erumpunt, & periculis contemptis, per immensam currunt Oceani vastitatem, vitamque obijciunt mortalem, ut Iaponibus aperiant sempiternam. Hæc similiaque tanto ardore, Iaponicis verbis, pronuntiauit, ut ipse de se referens, numquam aliàs, quod sciret, sic fuisse se locutum, aut tam expedite Iaponico usum sermone affirmarit; ut nempe illud à Christo promissum ei quoque præstaretur: *Cùm steteritis ante Reges & Præsides, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illâ horâ, quid loquamini.* Iam Nangasachum venerat Præfectus Omuræ, Præfectorum aliorum militumque non exiguo numero stipatus, quos nempe Gubernator aduocarat, ducendis in Omurensem custodiam captiuis, in quâ multis iam mensibus tenebantur, P. Thomas à Spiritu sancto Ordinis Prædicatorum, & P. Frater Apollinaris è Familiâ S. Francisci, cum sex Iaponijs, quos abesse Nangasacho placuerat, ad arcendos Christianorum concursus. Decreuit tamen postea Gubernator, captos tenere Nangasachi hospites duos Patris Caroli, aliorumque Religiosorum. Eo rumore per urbem vulgato, plateas omnes (quâ captiuis transeundum erat) populus occupauit. Pro-præfectus Omuræ, tantis visis con-
 cursi-

curfibus, attonitus, metuensque seditionis, captorum tutelæ cauere noluit; quâ de causâ constitutum, vt loco pratorio proximo, in naues imponerentur. Carolus igitur ad conscendendum, trium platearum interuallo ductus est, vinctus, vt principio, latronis instar, comitante Gubernatoris Aulæ Præfecto, militumque bono numero. Grata Numini fuit triumphalis illa pompa. Erant omnino septem, è quibus Religiosi quatuor, Iapones tres. Incedebant alius ante alium, singuli; apposito vnicuique ad latus satellite qui teneret restim. Frontem, tergum, latera, armatus vndeque miles claudebat. Quantumuis autem ad cohibendam vulgi vim, longurij arcebant eos qui ad tangendas Caroli sociorumque vestes præcurrebant, vix tamen cohibere eorum multitudinem potuere, qui aspicere, postremumque vale Athletis Christi dicere, cupiebant; abruptim lamentantes, precantesque elato clamore, vt DEO sese commendarent. Optabat per eam opportunitatem Carolus circumstantes Christianos inflammare ad ferendam constanter tyrannidem imminentem; sed quia ferum erat, milesque festinabat, præter pauca ex interuallo verba, nihil admodum eloqui potuit, vt propositi firmitatem eis inculcarent. Ex littore (vt erant vinculis constricti) vnâ omnes in nauem

uem

uem compacti sunt, milite alias conscenden-
 te. Freto angusto duorum millium transmis-
 so appulsi, à Pro-præfecto Omurano (qui pa-
 ratâ equitum turmâ eos expectabat) fuere ac-
 cepti. Postquam conscenderant, Carolus,
 actis Præfecto Aulæ Gubernatoris quàm hu-
 manissimè gratijs, iussioque, verbis suis, salue-
 re Gonrocuo, hæc insuper ei referenda man-
 dauit: *Gratias se habere quòd captus ab eo esset,*
neque ei hac re succensere. Pro-præfectus pur-
 gabat se obtentu muneris sui, rogabatque ex-
 cusari imperio Regis. Iubebat porrò Caro-
 lum manibus solui, commodoque equo im-
 poni. Conscensis equis properabant, dum
 fines Omuræ ingrederentur; & passim imple-
 uerant vias Christiani, Nangafacho vicinissq;
 è ciuitatibus effusi, qui crebro planctu fletuq;
 super tantis, vt vociferabantur, iacturis ipsos
 captiuorum animos commouebant. Inuectus
 Omuræ fines, milites (qui Nangafacho capti-
 uos stipauerant) Præfectus dimisit; duobus
 recentibus vnicuique appositis, præter mul-
 tos qui vndequaque exciti ad cingendum ad-
 uolabant: cum verò longiusculum restaret
 iter, iamque incidisset nox, faces pellendis te-
 nebris plurimas accenderunt. Carolus (vt ipse
 litteris narrat) partem, cum sodalibus capti-
 uitatem Christi meditando, partem, Psalmo-
 rum hymnos canendo, incedebat gaudens,
 quòd

quòd dignus habitus esset pro nomine IESU
 contumeliam pati. Peruenere tandem in do-
 mum ubi erat pernoctandum. Hic Christia-
 nos quosdam sacrâ exomologesi Carolus ex-
 piavit. Sequenti die, qui Dominicus erat,
 postquam se mensâ refecissent, repetitum est
 iter. Præfectus cum equum obtulisset Caro-
 lo, ille exoravit, liceret hoc sibi pedibus face-
 re, dum ad littus attigisset, unde ingens trai-
 ciendum fretum, in cuius aduersâ ripâ carcer
 erat, in quem ducebantur. Vbi in conspectum
 carceris ventum est, Hymnis cantibusque
 signum eminus dedere Patribus alijs captiuis,
 qui inuicem canendo è custodiâ hilariter re-
 sponderunt. Aditu in carcerem patefacto, dif-
 ficile sit explicare, quantâ hinc inde lætitiæ
 significatione, in mutuos sese coniecerint
 complexus, cum dudum scilicet eos omnes
 Carolus nouisset: memorque, quid simili
 tempore à Clemente Martyre factum esset,
 primo carceris ingressu in hæc verba proru-
 pit: *Non meis meritis huc me Dominus misit
 vestris coronis participem me fieri.* simulque
 tanta diuinæ dulcedo consolationis eius pe-
 ctori illapsa est, vt, quod Rectori Mediola-
 nensi scribit, in cælestem paradysum ingredi
 sibi videretur. Hanc ipsam certè lætitiâ expli-
 cans, in hæc verba è Iapone scripsit P. Ioan-
 ni Baptistæ Porro mense Februario 1619.

Tan-

Tandem aliquando in carcerem detrusus sum, ductusque publicè, latronis instar, vinculis constrictus per plateas aliquot ad ripam usque maris, ad quod spectaculum vrbs tota conuenit. Latus admodum dego, neque pares DEO gratias agere valeo, pro beneficio quo me est imperitus. Adiuuet me obsecro Reu. Vestra in reddendis, pro debito, gratijs, finemque mihi exoret tot iam annis, uti scit, à me desideratū, condonetque imperfectiones meas, quas, ex quo Mediolani inuicem nouimus, obseruauit. Si mea me peccata impeditura sunt, ne sanguinem pro DEI amore fundam, at saltem dignus factus sum, pro nomine IESU contumeliam pati, qua sanè non exigua est gratia. Modò sanctissima eius de me voluntas fiat, id abundè mihi solatj erit. Alijs verò ad Patrem quemdam, qui Macai erat, ardentissima hæc verba scripsit: Ecquando, ò DEVS meus, hoc ego beneficij meritis sum, ut dignus efficerer pro nomine IESU contumeliam pati? O benè collocatos labores meos, quos itinere tam longo ex Italiâ in Iaponiam tuli! O benè remuneratos dolores, præsertim illos, qui tyrannidis huius seuientis temporibus tolerati sunt! etiamsi numquam assequerer, quod præcipuè semper expetiui, cuiusque desiderio in has regiones profectus fui.

CAPVT